Universitätsbibliothek Paderborn

Annus Cisterciensis

In quo Pia, Et Brevi Apostrophe proponuntur Veneranda, & Imitanda Gesta præcipua, & eximiæ Virtutes Sanctorum ac Beatorum utriusque sexûs Ejusdem Sacri, Et Ab Origine Sua Exempti Ordinis

Meglinger, Joseph

[S.l.], Anno MDCLXXXII.

6. Aprilis. 8. Idus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45295

Visual Library

S. BERNARDUS, *ſer. 1. in Cœna D.*

Si quis veſtrum non tam ſæpe modò, non tam acerbos, ſentit iracundiæ motus, invidiæ, luxuriæ, & cæterorum hujuſmodi: gratias agat Corpori, & Sanguini Dominî: quoniam virtus Sacramenti operatur in eo: & gaudeat; quòd peſſimum ulcus accedat ad ſanitatem.

Evchariſtia minuit tentationes.

6. Aprilis. 8. Idus.

Circa annum 1238.

B. HENRICE, monache Villarienſis: cui Ciſtercienſium ritus & vitæ norma, adhuc puero, adeò placebant; ut vix expectata annorum maturitate, ad ſuſcipiendum habitum properaveris. Nec deferbuit tam altè radicata cupido conſequendi ſummam perfectionem: ſed quò longiùs progrediebaris, tantò minus te complexum eſſe ratus, ad majora ſemper anhelabas. Ante reliquas virtutes elucebat in te ardentiſſima charitas; qua omnia factus omnibus, jam inter vivos ſancti nomen obtinuiſti. Accedentibus deinde poſt obitum miraculis, quaſi ad novam vitam productus, elevato ſupra terram ſepul-

chro

chro, publicum excipis venerantium
Charitas. honorem. *Charitas, qua nunc in Deo totus ignis es, te, rogo, perſuadeat, ut & mihi nobiliſſimam illam virtutum impetres: repulſam te pati non ſinet, cujus propria natura eſt Charitas.*

Vixit circa annum 1211. B. JOANNES: qui in Villarienſi cœnobio tyrocinium alacri animo ingreſſus, haud exiguæ olim ſanctitatis ſpem feciſti: cùm maturas in juvene virtutes, maximè humilitatis & obedientiæ amorem, præter incorruptam innocentiā, omnes in te admirarentur. Verùm illæ animi dotes ſuperis quoque arriſere: à quibus, nondum completo probationis curriculo, ad ſuum conſortium aſſumptus es. *Agnoſcam*

Vera ſit non ficta virtus. *ego ex tua tam tempeſtiva ſanctimonia, quàm rudis adhuc tyro ſim in ſtudio perfectionis. Fac me ſolidæ virtutum veritati, non larvato hypocriſis figmento incumbere: ut poſito ſincero fundamento, in hac ſchola quotidie doctior, id eſt melior evadā.*

S. BERNARDUS, ſer. 34. in Cant.

Tria genera humilium. *Quanti humiliantur, & humiles non ſunt. Aliÿ cum rancore humiliantur, aliÿ patienter, aliÿ libenter. Primi rei ſunt, ſequentes innoxiÿ, ultimi juſti.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN